



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 5. Admiranda Arcadiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

Ibidem terra cibo mixta, efficit eundem meliorem, & exquisitioris saporis. *Apollonius cap. 33. ex Theophrasto.*

In ludis Olympicis cum multi milii aduolent, ut rapiant carnes, tamen sacrificia non attingunt: quod si eas rapuerint (inquit Plinius) lugubre creditur ostentum. *Apollonius cap. 10. ex Theopompo: & Plinius lib. 10. cap. 10.*

In vrbe Olympiâ cineres sacrificiorum Alphei fluuij aquâ macerantur & diluuntur, iisque inducitur ara; aliâ aquâ id fieri non potest. *Plutarchus de defectu oraculorum, & Pausanias.*

Elei multitudine muscarum pestem afferente sacrificant Deo, quem Myaron vocant: eodem die, quo litatum est omnes muscae intereunt. *Plinius lib. 10. cap. 28.*

Elei extra fines suos deducunt equas suas admissuras marem, & haec mulos non pariunt ex asinis, ut alibi; *Plutarchus in questionibus Grecis.*

Elei certo die in templo Bacchi, tres lagenas ob-signatas collificant, quae resignatae, plenae vini reperiuntur. Addit Aristoteles vocari peregrinos ad rem explorandam. *Pausanias in posterioribus Eliacis, & Aristoteles in Admirandis.*

N V M. 5. Admiranda Arcadia.

IN Arcadiâ nascuntur vites quarum vinum viros ex rationis vsu dimouet (rabiem viris procurare ait Plinius) fœminis vero affert fœcunditatem. Quod ait Athenæus vitibus ad Heræam contingere. *Elianis lib. 13. variae histor. Plinius lib. 14. cap. 180. Athenæus lib. 1. ex Theophrasto.*

Nascuntur in Arcadiâ Eurotas & Alpheus, & ex eodem fonte, in quo si quis coronas duas utriusque fluuiio suam consecratur, easque in communem utriusque fluxum proiecerit, eam quae fuerit Eurotæ consecrata Eurotam, alteram quae Alpheo, Alpheum reddere. *Strabo lib. sexto.*

Nascitur in Arcadiâ herba Centaurea, aliter Choronia dicta curandis vulneribus aptissima; ea si mittatur in ollam cum carnis, carnes omnino inter se connectentur. *Plinius lib. 25. cap. 6.*

Styx aqua omnia vasa disrumpit præter cornea ait Antigonus; præter mullina aiunt Plinius, & Vitruvius; Equinam postulat Pausanias; Plutarchus Asinianam, & hac affirmat sublatum esse.

SECVNDÆ PARTIS LIB. IV. 503

Alexandrum. Plinius lib. 31. cap. 2. ex Theophrasto, ait in eâ reperiri paruos pisces pariter mortiferos. Antigonus cap. 174. ex Theophrasto. Plinius lib. 30. cap. 16. Vitruvius lib. 8. cap. 3. Pausanias in Arcadicis. Plutarchus in Alexandro.

In Agro Megapolitano stellarum modo campus ardet: ardor autem ille iucundus est, frondémque densi supra se nemoris non admittit. Pausanias in Arcadicis.

Ad vrbem Clitorium, fons dictus Clitor, aut Clitorius, ex quo qui bibit fit abstemius à vino. Cuius vera causa est vis innata huic fonti contraria vino. Ajunt fabulæ purgationes Prætidarum à Melampode in fluuum illum proiectas esse. Vitruvius lib. 8. cap. 3. ut Poëtas pretermittam.

Circa Clitorium piscis dictus Exocetum reperitur, sic dictus quoddin siccum somni causâ exeat. Traditur, & illuc vocalis esse, & sine branchiis. Pausanias Pœcilia vocare videtur, & fluuum Araonium vocat, & piscem illum vocem edere ad instar Turdi; insuper id maximè vesperi contingere, quod tamen negat à se deprehensum esse. Plinius lib. 9. cap. 19. & Pausanias in Arcadicis.

Nonacris fons mortem affert gustantibus ex nimio frigore, vnde eius aqua dum profluit, lapidescit. Vitruvius lib. 8. cap. 3. Plinius lib. 31. cap. 2.

Linus fons in Arcadiâ partum custodit, abortumque fieri non patitur. Plinius lib. 31. cap. 2.

Aqua Alisonis fontis sanat eos quos canes rabidi momorderunt. Pausanias in Arcadicis.

In monte Lyceo fons Agnon dictus, in quem post sacrificium proiectus ramus querneus tempore siccitatis pluuiam impetrabat. Idem Pausanias.

§. 8. De Insulis Græciae in mari Ionio.

NVM. I. Admiranda Insula Zacynthi.

IN hac Insulâ fontes picis magnam copiam cum aquis euomunt. Herodotus in Melpomene, & Vitruvius lib. 8. cap. 3.

Ex lacu Zacynthio piscibus abundante, pix existit: quidquid in eum proieceris in mari postea apparet, licet quatuor stadiis à mari distet. Antigonus cap. 169. ex Endoxo.